

causam hoc loco ponere minimè conuenit. Hoc tamen est certissimum, quicumque solis tincturam habuerit, auri corpus ultra naturalem gradum poterit adducere, hoc est à viginti quatuor in trigessimum sextum, & ultra tam intense vt altiùs ascendere nequeat, constans nihilominus, fixumque maneat in antimonio, & in omni quartatione. Sulphur etiam lunæ suum corpus in tantum gradum exaltat, vt venus cum æquali huius lunæ pondere iudicium acquirat lapidis Lydij. Sulphur veneris cuprum fixat vt fulminis examen sustineat, non tingit tamen; cum sulphure saturni in optimam chalybem: cum sulphure iouis tamquam ferrum optimum. Item stannum suo sulphure figitur etiam vt fulmen sustineat, & suo saturnus confirmatur atque fixatur, vt nullam cerussam vel minium, neque spiritum de se præbeat ampliùs. Sulphur verò mercurij suum corpus malleabile reddit, vt veneris ignitionem patiatur, at cineritium non. Sulphur item solis tingit lunam, sed non fixat. Fiunt etiam transmutiones

nes